

investitionem procederetis, prout &c. de jure; si-
ve sic vel aliter, sive plus vel minus in dictis ve-
stris literis & proclamatione, & edicto dicitur con-
tineri; Dicens, Quod vos DD. Vicarii, vel alius
Vicarius ipsius D. Episcopi Castellani, ad confir-
mationem dictæ electionis, quæ dicitur facta de di-
cto Nascimbene ad dictum diaconatus titulum, &
institutionem & investitionem ipsius de jure proce-
dere non potestis, comprobatis rationibus & causis
infrascriptis.

Et in primis: Quia ego Antonius sum Subdia-
conus dictæ Ecclesiæ S. Cassiani, & in possessione
vel quasi dicti tituli Subdiaconalis, & omnium ju-
rium spiritualium & corporalium tituli supradicti;
& secundum formam Constitutionis de consueto di-
ctæ Ecclesiæ S. Cassiani, quia vacante titulo dia-
conatus dictæ Ecclesiæ, Subdiaconus Ecclesiæ præ-
dictæ, si sit idoneus & sufficiens, sicut dico me
esse, ascendere debet ad dictum titulum diacona-
lem. Quod quia contrarium factum est, dicta e-
lectio, & quidquid postea est factum, vel exinde
sequitur postea, non valet de jure.

Item dico, quia dictus Nascimbenius electus
fuit, ut dicitur, a minore parte Capituli dictæ Ec-
clesiæ S. Cassiani. Videlicet a D. presbytero Her-
molao, & Petro Limerio presbyteris dictæ Eccle-
siæ, contradicente D. presbytero Francisco Ecclesiæ
prædictæ, & dicente prædictis presbyteris Hermolao
& Petro Limerio, quod dictus titulus diaconatus
vacans ad præsens in dicta Ecclesia S. Cassiani,
debitus erat D. Antonio per Constitutiones Eccle-
siæ prædictæ S. Cassiani, & quod contradicente me
Antonio prædictis presbyteris Hermolao & Petro